

cundum proportionem, non secundum latitudinem, ut patet in patre Suarez loco citato, numero XLIX et patre Granados disp. VII.

XVIII. Quare communiter rejicitur ille modus augendi habitus secundum totam latitudinem actus, nam vere plura habet inconuenientia; tenetur enim admittere intensionem fieri secundum gradus omnino similes, et per modum additionis numeri ad numerum; et quod idem actus, verbi gratia ut duo solum ex eo quod sit in diverso subjecto habente diversum gradum charitatis, plus vel minus meretur; nam in subjecto habente gratiam ut decem, meretur actus ut duo augmentum ut duodecim; in subjecto autem habente gratiam ut mille, merebitur augmentum ut mille, et duo. Cum ergo nobis incertum sit quantum augmentum mereatur quilibet actus, sive intensus, sive remissus, quamdiu de hoc non datur revelatio, loquimur conformiter ad augmentum naturale in aliis habitibus, et conformiter ad modum mensurandi intensionem charitatis quando primo infunditur. Qui autem hanc proportionem volunt negare, afferant revelationem unde id constet, et admitterentur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIX. Restat solvere fundamenta oppositæ sententiæ, quæ reducuntur ad tria. Primum est, quia postquam homo est justificatus quilibet actus charitatis, etiam remissus, meretur augmentum gratiæ de condigno, ut admittit S. Thomas hic quæst. XXIV, art. VI, et dicemus articulo sequenti; ergo dabitur illi tale præmium independentem a quacumque physica dispositione. Consequentia patet; tum, quia in Concilio Tridentino

sess. V, canone XVI dicitur, quod actibus factis in gratia per Christum nihil amplius deest quominus legi Dei satisfacisse, et vitam æternam suo tempore consequendam (si in gratia decesserint) censeantur; ergo illa dispositio physica ultra meritum de condigno impertinenter requiritur, et contra Concilium; tum etiam, quia si requiritur dispositio intensior ut detur augmentum, nunquam actui remisso correspondebit suum præmium, quia cum ille actus intensior etiam mereatur, et disponat ad augmentum sibi correspondens, relinquatur actus remissus præcedens sine aliqua dispositione, quæ non sit occupata suo proprio augmento; ergo vel nunquam dabitur illi præmium, vel eadem dispositio serviet pro augmento actus remissi, et actus intensi; quod est ponere aliquod augmentum dari sine dispositione physica sibi correspondenti.

XX. Hoc argumentum est præcipuæ difficultatis in tota ista disputatione, ejusque solutio pertinet ad articulum quartum ad quem nos remittimus.

XXI. Secundum fundamentum est, quia per sacramenta augetur in nobis gratia opere operato, et consequenter correspondet aliquid ultra dispositionem propriam, cui datur gratia ex opere operantis; ergo aliquid augmentum gratiæ datur subjecto sine dispositione physica ei correspondenti, atque adeo non est physica dispositio, si non semper requiritur. Respondetur argumentum retorqueri, quia etiam illud augmentum ex opere operato datur ultra dispositionem moralem, quia id quod meretur actus disponens, cum quo aliquis accedit sacramentum, meretur aliquid ex opere operantis; ergo ultra id quod meretur datur sibi augmentum sacramenti, atque adeo illi augmento nulla dispositio

correspondere morali nec physica.

XXII. Quare dicendum est, quod respectu augmenti ex opere operato dispositio nostra, quæ est ex opere operantis non se habet tamquam dispositio proportionans subjectum ad formam, sed applicans ad causam, quæ supra dispositionem hominis potest producere augmentum, ut diximus in primo notabili. Unde S. Thomas III p. quæst. LXIX, art. VIII dicit, quod baptismus non habet æqualem effectum in adultis, propter diversam dispositionem, quæ se applicant causæ gratiæ; sicut ex eo aliquis magis calefit, quia magis accedit ad ignem, et quia ut dicit Tridentinum sessione VII, canone VI sacramenta habent suum effectum in non ponentibus obicem, quare non requiritur dispositio positiva ad augendam gratiam, sed sufficit non ponere obicem; et dispositio qua aliquis accedit solum se habet ut applicans magis vel minus, non ut formaliter mensurans.

XXIII. Tertium fundamentum est, quia in multis non servatur illa proportio physica inter actus, et habitus supernaturales; cur ergo solum in augmento servatur? Antecedens patet, quia in naturalibus solum augetur habitus per similes actus, et ejusdem speciei; hic autem per solum actum charitatis augentur etiam habitus virtutum moralium infusarum. Similiter habitus naturales destruuntur per habitus contrarios, supernaturales vero solum per actum peccati tolluntur in penam; ergo.

XXIV. Respondetur servari illam proportionem physicam semper quantum possibile est, nisi sequatur inconueniens; in augmento autem non sequitur, quia de facto fatentur omnes quando primo infunditur gratia mensurari ejus intensionem physice ratione dispositionis nos-

træ; ergo conforme est naturæ ejus ut semper hoc servetur. In exemplis autem allatis non currit hæc ratio; quod enim crescente charitate crescant virtutes infusæ, ideo est quia virtualiter continentur in charitate ut in radice; unde sicut dispositio ad infusionem charitatis est virtualis dispositio ad virtutes, ita et dispositio ad augmentum. Similiter non tollitur habitus supernaturalis per habitum vitiosum contrarium, quia unus actus peccati sufficit destruere charitatem non solum demeritorie, sed etiam physice (ut disputatione ultima dicemus) quare non datur locus ut expellatur, per habitum, si per actum exclusus est.

ARTICULUS III.

Utrum actus charitatis, etiam remissi, mereantur augmentum charitatis, et quomodo?

I. Principio oportet supponere tamquam certum de fide justos bonis operibus, non solum mereri vitam æternam, sed etiam augmentum gratiæ, ut manifeste diffinitur in Tridentino sessione VI, canone XXIV et XXXII. Et ita actus nostri non solum habent rationem dispositionis, sed etiam meriti respectu augmenti gratiæ.

II. Secundo supponendum est etiam tamquam certum, et fere in eadem certitudine, qua præcedens, quod quilibet actus, etiam remissus, meretur augmentum gratiæ, sicut et vitam æternam abstrahendo ab eo quod nomine augmenti intelligi potest; de hoc enim sunt diversæ opiniones non excedentes probabilitatem. Sed in genere loquendo certum est augmentum gratiæ, quid illud sit, debere cadere sub merito actus, etiam remissi, sive sit

augmentum essenziale quoad intensionem, sive accidentale, sive distinctum ab eo quod ferventiori actui correspondet, sive non, sive detur novo titulo, sive nova res. In hac conclusione conveniunt omnes doctores, etiam magister Bagnez hic quæstione vigesima quarta, articulo sexto, dubio secundo, conclusione tertia. Sed tota ejus opinio consistit in assignando quale sit hoc augmentum, quod meretur actus remissus: de quo sequenti articulo cum ipso erit disputatio. Unde male ab aliquibus suggillatur Bagnez, quasi aliquid temerarium, vel erroneum docuerit, cum ipse conveniat in doctrina generali, quod quilibet actus remissus meretur augmentum. Quanta vero probabilitate explicat hoc augmentum, postea explicabitur.

III. Quod ergo quilibet actus, etiam remissus mereatur hoc augmentum est conforme definitioni Tridentini canone illo xxxii, ubi inquit: « Si quis dixerit hominem justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. » Ubi solum ex eo quod non posuit expresse Concilium omnibus bonis operibus, hæc conclusio non est expresse de fide: sed quia est propositio indefinita, et doctrinalis, quæ æquivalet universali, habet fere eandem certitudinem quasi æquivalenter. Et hoc ipsum docuit expresse D. Thomas hic quæstione vigesima quarta, articulo sexto ad primum, et 1-2, quæstione cxiv, articulo viii ad tertium. Et reddit efficacem rationem, quia quolibet actu, etiam remisso, meretur homo vitam æternam, et gratiæ consummationem:

ergo etiam et augmentum; nam consummatio ipsa plus est quam augmentum, cum sit terminus ejus.

IV. Neque obstare debent verba D. Thomæ in secundo, distinctione vigesima septima, quæstione prima, articulo v ad secundum, ubi inquit, quod non oportet quod quilibet actus meritorius mereatur augmentum gratiæ, quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio per quam ex actu consequitur augmentum habitus, sed solum in illo actu, quo quis utitur gratia accepta secundum proportionem suarum virium, ita ut in nullo desit gratiæ Dei. Sed non obstant ista verba, neque cogunt ut dicamus D. Thomam mutasse sententiam; nam loquitur ibi de merito afferente secum augmentum de facto dandum subiecto. Licet autem quilibet actus mereatur augmentum, tamen secundum D. Thomam non statim datur, sed suo tempore, ut dicit loci citatis ex summa; et ideo idem utrobique dicit. Id autem patet ex illis verbis: « Quia non in quolibet actu invenitur illa conditio per quam ex actu consequitur augmentum habitus; » loquitur ergo de merito, cui statim redditur augmentum.

V. His duobus suppositis plures excitantur difficultates circa meritum actuum remissorum, tam ex parte ipsius augmenti, quod est quasi præmium, quam ex parte ipsius actus meritorii. Circa ipsum præmium, quod est augmentum, occurrit primo difficultas, quid nomine augmenti sit intelligendum quando dicitur quemlibet actum mereri augmentum gratiæ, determinare enim quid nomine augmenti intelligatur pertinet ad opiniones. Et secundo occurrit major difficultas, quo tempore detur istud augmentum, quod meretur actus remissus, et quam dispositionem ad id requirat. Sed tamen eas difficultates,

quæ ex parte præmii, seu augmenti se tenent, remittimus articulo sequenti, ut distinctius, et plenius disputentur.

VI. In præsentibus ergo solum tractandæ sunt aliquæ difficultates, quæ ex parte actus meritorii se tenent, et per modum interrogationis facilius expediendæ. Prima ergo difficultas, an ista ratio meriti augmenti charitatis conveniat solum actibus a charitate elicitis, an etiam imperatis: secunda, an solum conveniat substantiæ actuum, vel etiam durationi, aut multitudini, et similibus circumstantiis, ratione quarum consurgat novus valor, et novum augmentum pro præmio correspondeat: tertia, utrum magnitudo augmenti correspondeat toti intensiori actus meritorii; an vero intensiori actui possit aliquando minus augmentum correspondere, et remissiori actui majus.

VII. Ad primam difficultatem resolutio est, etiam per actus imperatos a charitate, elicitosque ab aliis virtutibus nos mereri augmentum gratiæ, quia generalis regula est, quod quidquid meretur vitam æternam, etiam mereri potest augmentum gratiæ, utrumque enim parificat Concilium, et D. Thomas loci citatis. Expressius tamen hoc tradit ipsum Concilium sessione vi, capit ex, ubi explicando incrementum justificationis inquit, quod: « Justificati, et amici Dei, ac domestici facti euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus dicit de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, et exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem per observationem mandatorum Dei, et Ecclesiæ in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atque magis justificantur. » Ita Concilium. Sed mortificatio carnis pertinet ad virtutem temperantiæ, et observatio mandatorum Dei, et Ecclesiæ

pertinet ad alias virtutes de quibus dantur hujusmodi præcepta; ergo per actus illarum augetur gratia justificans, non tamquam per dispositionem physicam, quia sunt alterius speciei; ergo per meritoriam, et licet esset physica dispositio, multo magis meritoria.

VIII. Est tamen valde attendenda doctrina D. Thomæ 1-2, quæstione cxv, articulo iv, ubi docet, quod præmium vitæ æternæ primario pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundo, secundum quod earum actus a charitate imperantur; quod tamen imperium salvari non potest sive aliquo influxu charitatis, saltem virtuali, ut ibidem tractari solet contra aliquos recentiores, qui existimant sufficere ad rationem meriti, quod actus procedat a subiecto dignificato per charitatem sine aliquo influxu, etiam virtuali charitatis. Qui tamen non possunt salvare id quod dicit D. Thomas, quod merentur virtutes prout imperantur a charitate; imperari enim non est solum extrinsece dignificari ratione subiecti digni cessante omni actu, cum imperium ipsum actus sit. Et multo minus videntur posse salvare verba Concilii; non enim dixit crescere hominem in gratia solum per observationem mandatorum, sed addidit cooperante fide bonis operibus, intelligitur enim de cooperatione fidei vivæ, fides enim non viva conducere non potest ad augmentum justificationis, et eadem difficultas est de influxu fidei ad rationem meriti, et de influxu charitatis. Illa autem cooperatio fidei non potest intelligi sine operatione ipsius fidei, neque operatio sine influxu; ergo actus virtutum quibus observamus præcepta non possunt esse meritorii ad augendum gratiam sine aliqua operatione, et influxu saltem virtuali principii supernaturalis, quod est fides viva;

et consequenter sola dignificatio subjecti omni influxu remoto non sufficit. Sed de hac quæstione non est locus tractandi hic, pertinet enim ad locum citatum 1-2, ubi videri potest doctor Montesinos supra prædictum articulum IV, quæstione I et II, ubi optime probat contra Vazquez requiri in actibus aliarum virtutum ut sint meritorii influxum charitatis saltem virtuaalem, et influxum Christi ut est caput, et redemptor influens tamquam vitis in palmites, ut ex Tridentino sessione VI, cap. XVI, aperte deducitur.

IX. Objicies D. Thomam, quia sæpe docet essentielle præmium solum correspondere actui charitatis, actibus autem aliarum virtutum solum correspondere præmium accidentale, quod est gaudium de bono creato, ut patet in prima parte, quæstione nonagesima quinta, articulo IV, et super I ad Corinthios, capite III, lect. II, et ad Romanos VIII, lect. V, et in additionibus ad tertiam partem, quæstione XCIII, articulo III, agendo de distinctione mansionum in patria, et quæstione nonagesima sexta, articulo primo, agendo de aureolis, quæ sunt præmia accidentalia correspondentia excellentiæ victoriæ in aliquibus actibus virtutum.

X. Respondetur sensum D. Thomæ manifestum esse, quod actus aliarum virtutum primo, et per se, et ex substantia operis non merentur præmium essentielle, et augmentum gratiæ, sed solum eis correspondet accidentale gaudium. Non tamen negat D. Thomas, quod secundo, id est, ut moventur a charitate, et ratione ipsius charitatis ut radicis mereantur præmium essentielle, ut dixit loco citato primæ secundæ; an vero radix ista, et imperium charitatis communicet excellentiorem rationem meriti, solum quando ipsa charitas est intensior; an vero etiam quando objectum

virtutum est excellentius, vel actus illius intensior, aut majoris difficultatis victor, ipsa radix charitatis communicet etiam majorem valorem meriti, incerta res est, quia solus Deus est ponderator spirituum. Sed tamen per se loquendo quanto aliquod opus virtutis moralis est excellentius, vel difficilius indiget a perfectiori charitate imperari, unde Joann. XV dicitur, quod: *Majorem charitatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; et tamen positio animæ est opus fortitudinis, sed tamen quia ista opera ita excellentia aliquando possunt fieri sine charitate juxta I Corinth. XIV: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, et si distribuero omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, consequenter fit quod talia opera excellentia possunt fieri a minori, et imperfectiori charitate. Et inde desumitur argumentum: Si illa opera fiant sine charitate nihil prosunt; ergo si fiant a parva charitate parum prosunt; et ita si aliquis ex parva charitate sustineat martyrium, alius autem ex magna charitate det panem pauperi, iste secundus plus merebitur de præmio essentiali, quia magis illi prodest charitas, licet quoad præmium accidentale, et aureolam martyrii martyr longe superet.

XI. Quod si instes: Nam actus virtutis moralis infusæ habet ex suo genere in homine justo omnes conditiones ut sit meritorius; ergo si est præstantioris objecti erit magis meritorius: gratia enim non dignificat solum intensionem actus, sed etiam specificam rationem, et substantiam illius. Et confirmatur, quia alias si ex æquali charitate, verbi gratia ut duo aliquis det pauperi unum denarium; alter autem patitur martyrium; isti duo essent æqualis meriti essentialis, et ejusdem

gloriæ, quod est omnino absurdum; ergo essentialis ratio meriti etiam sumitur ex majori objecti excellentia.

XII. Respondetur virtutem moralem infusam ex eo quod infusa est habere connexionem intrinsecam cum charitate; virtutes enim morales infusæ sine charitate non sunt, ut suppono ex prima secundæ, quæstione LXV, articulo II et III, sicut ipse actus contritionis, qui elicitur a virtute pœnitentiæ intrinsecam petit imperari a charitate, quia procedit a Deo summe dilectio, unde ratione hujus connexionis cum charitate habent virtutes infusæ morales mereri præmium essentielle. Si vero præscindamus ab illis motivum charitatis, et solum consideremus attingentiam proprii objecti, non correspondet illis nisi præmium accidentale, id est, gaudium de bono creato. Ad confirmationem respondetur nullum esse inconueniens quod in præmio essentiali illi duo sint æquales, quia habent eandem charitatem, cui commensuratur visio gloriæ, licet in præmio accidentali longe præcedat martyr propter excellentiorem actum fortitudinis. Quia tamen fides viva, quæ cooperata est bono operi fuit eadem in alio non martyre eandem visionem beatificam habebunt.

XIII. Ad secundam difficultatem multa recentiores implexe dicunt circa meritum actus. Nos breviter supponimus duo, et in aliis duobus habemus difficultatem. Supponimus primo, et per se loquendo plus mereri actum diuturniorem quam brevem, et continuatum per horam, verbi gratia quam interruptum, et multiplicatum in eadem: secundo, supponimus falsum esse quod actus immanens liber necessario postulet aliquam moram temporis in qua debeat durare, sed posse desinere post quodlibet instans in quo pro-

ducitur. Quod est contra Vazquez 1-2, disp. LIV, cap. III, quia sentit quod actus immanens incipit per primum esse, et desinit per primum non esse, inter quæ duo instantia debet cadere tempus medium, et idem sequitur pater Granados hic controversia III, disp. VIII, sect. III, non propter rationem Vazquez, quia actus immanens spiritualis potest desinere per ultimum esse, ut patet in instantibus operationis angelicæ, et licet desineret per primum non esse, non infertur quod exigit determinatam durationem, quia post primum instans in quo incipit ille actus sequuntur infinita instantia indeterminata cum partibus temporis indeterminatis, in quorum quolibet potest desinere. Sed ex eo probat habere actum immanentem determinatam durationem præter instans, quia alias posset homo, vel Angelus elicere infinitos actus tempore finito, quia sunt infinita instantia, et cum actus immanens exigit aliquam attentionem, quæ naturaliter petit aliquam moram, naturaliter etiam ille actus durabit plusquam per instans.

XIV. Cum vero urgetur, quia si actus necessario perit, et intrinsecam aliquam moram durationis; ergo immediate post instans peccati non potest aliquis converti ad Deum, neque minus post conversionem peccare, et ita durante illa morula peccans est quasi extra statum viæ, quia non potest converti intra illud tempus, et pœnitens confirmatus in gratia, quia in illo tempore non potest peccare. Hoc argumento oppressus Granados respondet immediate post instans peccati posse aliquem converti ad Deum, etiamsi non sit finita morula, quam actus postulat ex sua natura, quia gratia Dei extrinsecus adveniens potest interrumpere illam durationem, sed sensus suæ sententiæ est quod ex